

5  
DISSERTATIO INAUGURALIS JURIDICA, 1709, 7. 9.  
P 34

# INTERESSE AFFECTIONIS,

*Quam*  
FAVENTE DEO

RECTORE HUJUS UNIVERSITATIS MAGNIFICENTISSIMO,  
REVERENDISSIMO ET ILLUSTRISSIMO DOMINO,  
DOMINO

FHILIPPO WILHELMO,  
S.R.I. COMITE de BOINEBURG,

SACRÆ CÆSAREÆ MAJESTATIS CONSILIARIO INTIMO &  
CAMERARIO, nec non METROPOLITANARUM ECCL.  
SIARUM, MOGUNTINÆ & TREVIRENSIS CA-  
NONICO CAPITULARI SENIORE,  
EMINENTISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS MOGUNTINI CON-  
SILIARIO INTIMO, ac CIVITATIS TERRITORII que  
ERFFURTENSIS PRO-PRINCIPE &c. &c.

DOMINO NOSTRO GRATIOSISSIMO,  
EX DECRETO ILLUSTRIS FACULTATIS JURIDICÆ  
IN ALMA HIERANA,

PRÆSIDE

PRO-RECTOR MAGNIFICO,

Dn. JOANNE PHILIPPO Streit/ J.U.D.

Eminentiss. Princip. Electo. Mogunt. Regim. Consil. Facult.

Juridice Affessore ac p. t. DECANO,

DN. PATRONO & PROMOTORE ætatem colendo,

PRO DIGNITATE DOCTORALI

Summisq; in Utroque Jure Honoribus ac Privilegiis DOCTO-

RALIBUS rite & legitime capessendis,

Publicè in AUDITORIO JURIDICO MAJORI

horis consuetis die 29. Maii 1709. defendet

JOANNES GEORGIUS DEGENCOLBE alias HORN,  
Voigstadiensis-Thuringus.



ERFFORDIAE, Typis Grolchianis, Acad. Typogr.





## SUMMARIA.

Iudex in condemnando rationem debet habere interesse *ib. 1.* in animi interesse causa & fundamentum ejus spectari debet *ib. 2.* ordo dissertationis *ibid.* affectio dicitur ab affectu. *ib. 3.* ejus varia scriptio & propria significatio explicatur *ibid.* Explicatur Homonymia voc. Ad affectionis *ib. 4.* Synonyma traduntur *ib. 5.* Interesse in jure quid denotet *ib. 6.* Lex obstante *71.* §. 1. ff. de furt. resolvitur *ibid.* Homonymia & Synonymia voc. interesse traditur *ib. 7. 8. 9.* Interesse affectionis describitur in *ib. 10.* differt ab interesse vulgari *ib. 11.* nec non poena conventionali *ib. 12.* fundamentum interesse affectionis *ib. 13.* illud duplex esse statuitur *ib. 14.* Nuda affectio non sufficit *ib. 15.* Causa affectionis debet esse honesta & rationabilis *ib. 16.* inhonesta non attenditur *ib. 17.* Causae affectionis honestae unde proveniant *ib. 18.* affectio sui ipsius quatenus admitti possit *ib. 19.* Parentum erga liberos natura & lege fundatur *ib. 20.* pertinet etiam ad liberos per subsequens matrimonium legitimatos & ad alumnos *ib. 21.* affectio erga collaterales *ib. 22.* inter conjuges *ib. 23.* inter baptizatum & patrinum *ib. 24.* inter domesticos *ib. 25.* inter tutorem & pupillum *ib. 26.* inter amicos *ib. 27.* explicatur *ib. 28.* §. 1. d. hered. infit. *ibid.* explicatur *ib. 29.* ff. d. confirm. tut. *ib. 28.* honesta affectio inter donatorem & donatarium *ib. 29.* affectio circa Res & quidem in specie circa eas, quae a majoribus nostris proveniunt *ib. 30.* circa doctrinam & litteras *ib. 31.* affectio antiquitatis *ib. 32.* raritatis *ib. 33.* amoenitatis & prospectus *ib. 34.* vicinitatis *ib. 35.* Affectio debet esse finita & moderate aestimari *ib. 36.* circa rem petitoris propriam esse debet *ib. 37.* temporis praesentis spectatur *ib. 38.* quis petere possit interesse *ib. 39.* recipient aestimationem affectio non solum res sed etiam facta *ib. 40.* nummi quatenus interesse continentur *ib. 41.* affectio facit cessare generales jurium dispositiones, regula declaratur *ib. 42.* affectio est justa manumissionis causa *ib. 43.* si quis servum ex affectione filium nominaverit, sit liber *ib. 44.* quatenus prohibite nuptiae inter susceptorem & susceptam ex baptisme *ib. 45.* explicatur *ib. 46.* §. 1. ff. d. Ric. mpt. *ib. 46.* solo affectu matrimonia quomodo contrahantur


tur *ib.* 47. maritus an dari possit Curator uxoris *ib.* 48. maritus im-  
pensas in curationem & grā uxoris factas repetere nequit *ib.* 49. ho-  
nesta affectio est in eligendo. tutele testamentario *ib.* 50. potest quis  
ex affectione erga pupillum tutorem ejus spectulum postulare *ib.* 51.  
In educatione pupilli spectatur affectio *ib.* 52. interesse affectionis  
spectatur in testamentis & legatis *ib.* 53. 54. fideicommissum à liberis  
relictum tacitam habet conditionem si sine liberis decesserit *ib.* 55.  
pignus generale non continet ea, qua in speciali affectione debito-  
ris existunt *ib.* 56. explicatur *ib.* 58. Cod. d. Oblig. & Act *ib.* 57. propter  
interesse affectionis recte mandati agitur *ib.* 58. quatenus affectio spe-  
cetur in contractu emt. vend. *ib.* 59. in contr. locut. cond. *ib.* 60.  
in stipulatione *ib.* 61. in negot. gestione *ib.* 62. in præstationibus  
moræ & poenæ conventionalis *ib.* 63. in delictis ac poenis *ib.* 64. Ju-  
dex ob affectionem ut suspectus recusari potest *ib.* 65. nequit quis es-  
se Judex in causa propria *ib.* 66. filius pro parte absente recte inter-  
venit *ib.* 67. habenda affectionis ratio in testimonio ferendis *ib.* 68.  
amicus in causa amici potest appellare *ib.* 69. quantitas

hujus interesse determinatur *ib.* 70. interesse spe-

ciam probari debet *ib.* 71.



TH. I.



IN NOMINE JESU!

TH. I.



Nter reliqua sententia capit, quæ judec in condemnando debet respicere, maximam sibi partem vindicat Præstatio Interesse l. un. Cod. de sent. que pro eo quod inter ser. Siquidem quotidie ex transmissa Actorum relatione deprehendimus in subjectis libellorum petitis, præter expensas litis ac fructuum restitutionem etiam peti præstationem damnum ac interesse Beiflagten zu Ersezung der Unkosten auch verursachten Schadens und Interesse anzuhalten/Brunnenm. in Proc. Civ. cap. 5. n. 16. Et autem hujus inquisitio atque varia pro differentia casuum determinatio in primis iudici in sententia observanda, non tantum de Jure Civili arg. §. 32. Inst. de Action. Sed etiam de Jure Canonico Innoc. in cap. sacro col. 3. d. sent. excommun. Roman. Conf. 1. Adeo, ut si fuerit prætermisum, modo speciatim petitum fuerit, vel ex natura actionis debeat, sufficiens inde gravamen ad leuterandum vel appellandum parti læsæ deduci queat. Ruginell. de Appellat. §. 2. cap: 3. num.

474.

A 3

TH. II.

## TH. II.

Sicuti vero in omni Interesse causa ejus & fundamen-  
tum spectatur. Ita quoque sapissime Ratio habenda *Affe-  
ctionis*, quam actor vel reus circa rem aut causam petitam  
habet. Hanc ergo quatenus judex in sententionando sequi-  
teneatur praesenti Dissertatione Inaugurali B.C.D. dispicie-  
mus; ita, ut explicatis primo Nominalibus nostræ Rubri-  
cæ deinde per potiores causarum civilium species progressu-  
rit simus, ostendentes quoisque affectiones aliquid inter-  
esse à judice attendi & aestimari honestè ac licite possit.

## TH. III.

Facile autem patet *Affectionem* dici ab *Affectu* quip-  
pe quæ vox generalior est, & in utramque tam bonam  
quam malam partem potest accipi. Ita furtum affectu  
furandi committi dicitur, quatenus scil. ille malus animus  
se per externam contrectationem fraudulentulam prodit 66.  
*ff. de furt. l. 225, de Verb. Signif.* In bonam vero partem  
capitur in *l. ult. C. d. Curat furiosi* ubi nullus affectus pa-  
ternum vincere posse dicitur. Item in *Nov. 74. cap. 4.*  
ubi nuptiaz ex solo *affectu* rata esse dicuntur. Hujus proin-  
de veluti species quædam est *Affectio*, quam tamen in bo-  
nam partem interpretari solemus, ita ut potissimum deno-  
tet propensionem quandam animi ex amore descendantem  
uti occurrit in *l. 3. S. 9. ff. d. neg. gest.* Si *affectione coactus*,  
ne bona mea distrahantur, negotius te meis obtuleris &c.  
Scribitur autem vel per duplex *ff. affectio* uti legitur in *l. 1.*  
*§. 10. Cod. de Lat. Libert. toll. ibi:* Si enim ipse tali *affectio-*  
*ne fuerit accensus* ut &c. Vel per d *affectio* uti exprimi-  
tur in *l. 8. Cod. de Oblig. & Affect. ibi:* Quem *affectione pa-*  
*tris te dilexisse* proponis. Porro non tantum in singulare  
sed etiam plurali obvenit, exemplum est in *l. 33. ff. ad Leg.*  
*Aquil.*

Aquil. ibi: *Si servum meum occidisti non affectiones affi-  
mandas esse puto.* In forensibus tamen negotiis parum  
intererit, quam scriptiōnem elegeris, cum utraque legi-  
bus sit probata. Nec propter alteram minus forte à  
Grammaticis approbatam si occurrat in Notariorum instru-  
mentis illa propterea erunt vitiosa, cum sit accidentale tan-  
tum quod fidem instrumenti non facit nullam arg. cap. 3.  
*X. d. probat. Boer. dec. 211.* Nec scriptura testamenti eam  
ob causam improbari poterit Menoch. *Remed. 4. adipisc.*  
*poss. n. 218.*

#### TH. IV.

Significationem hujus vocabuli homonymcam quod  
attinet, sumitur hoc ipsum variis modis in textibus juris.  
Etenim (1) denotat propensum quandam in Personas ani-  
mum, uti dicitur pro affectione paterna in liberos in l.  
34 Cod. de inoffic. testam. ibi: *Qui omnes subiectos nostros  
& filios & nepotes habere existimamus affectione paterna  
& imitatione.* Nec non pro benevolo affectu, quo quis  
domesticos persequitur l. 1. Cod. d. negot. gest. ibi: *Etiam si*  
*quis pro affectione domestica aliquos sumitus fecerit.* (2)  
Pradicatur de Rebus & detentione possessionis in l. 4. C. d.  
acquir. vel retin. poss. ibi: *si predictorum desertam possessionem*  
*non de reliquendi affectione transacto tempore coluisti.* Nec  
non pro cura, custodia & conseruatione rerum; Unde  
dicitur, maritum debere affectionem rebus uxoris sua l.  
2. Cod. qu. dar. tut. vel Cur. poss. (3) dicitur pro affectu quo-  
dam religioso erga templa uti habet l. 26. §. 2. Cod. de SS.  
Eccles. ibi: *siquidem in aliquo illorum defunctus frequen-*  
*ter versabatur & maiorem erga illud habebat affectionem.*  
Addi l. 1. C. d. in lit. jur.

#### TH. V.

## TH. V.

Synonyma vocis itidem in Jure varia occurunt. Nam (1) exprimitur per Pietatem. Elegans de hoc significatu textus occurrit in §.3. Inst. de suspect. tutor. ibi: *Quinino mulieres admittuntur ex Rescriptio Divorum Severi & Antonini*: Sed haec sole pietatis necessitudine ducentiae ad hoc procedunt: utputa mater, nutrix quoque & avia; potest & soror. Sed & si qua alia mulier fuerit, quam prætor propensa pietate intellexerit sexus verecundiam non egreditentem sed pietate productam &c. Id quod alibi ad affectioni tribuitur l. 13. Cod. d. neg. gest. Item (2) Affectionis etiam pro affectione ponitur in l. 26. Cod. de nupt. ibi: ex affectu omnes introducuntur nuptie quod inferius paulo in eadem lege per affectionem explicatur: *Cum nihil aliud sic inducere potest paternam affectionem & justam nuptiarum prohibitionem conf. l. 54. pr. ff. mand.* (3) Describitur per Amicitiam in l. 44. ff. d. neg. gest. ibi: *Is, qui amicitia duabus paterna pupillis tutorum petierit, vel suspectos tutores postularit, nullam adversus eos habet actionem.* Quod amicitiae officium ex affectione fieri dicitur in l. 2. C. d. neg. gest.

## TH. VI.

Vocabulum *Interesse* quod attinet est illud in Jure & Praxi notissimum, & vulgariter per lucrum aliquod censans & damnum emergens describitur in l. 13. ff. rem ratam hab. Dicitur autem ab *Inter & esse* quasi quod medio loco inter arcendum damnum & promovendum lucrum interfit, l. 78. ff. de Reg. Jur. Disertè illud definit Justinianus Imp. in l. un. Cod. d. sent. quæser. pr. eo quod inter. ibi: *Et hoc non solum in damno sed etiam in lucro nostra amplectitur Constitutio, quia & ex eo veteres id, quod interfit, statuerunt.* Nec

Nec obstat l. 71. §. 1. ff. de furt. ubi ICorus ait: quod furtum a-  
gere possit cui interest rem non surripi. Interesse autem e-  
jus videtur, qui damnum passurus est, non eius, qui lucrum  
facturus est. Respondetur enim, quod in estimando in-  
teresse lucri & damni ratio non in omnibus casibus conjun-  
ctim semper spectetur, sed quandoque separationem reci-  
piat, ut in hoc sola damni emergentis estimatio fiat, prout  
circumstantiarum varietas exigit. Atque hoc ipsum in ca-  
su furti maxime procedit, ibi enim interesse ex singulari ra-  
tione tantum restringendum est ad rationem damni, non  
lucri, quia nimis lucrum tenderet in injuriam domini,  
contra quem usucapio completeretur. At à casu hoc &  
ratione speciali argumentum generaliter fieri non potest, ne-  
que enim unius membra positio alterius est exclusio, Conf.  
Struv. Gothofr. Immo ad d. l. 71. ff. d. furt. Complectitur er-  
go generaliter interesse omne illud, quod ultra pretium rei  
egreditur, & eidem veluti estimatio aliqua civilis accedit. Sci-  
tē hanc in rem loquitur Ulpianus in l. 1. pr. ff. d. Act. Emt.  
Vend. ibi: Si res vendita non tradatur, in id quod interest  
agitur, hoc est, rem habere interest empiris: hoc autem  
interdum pretium egreditur. si pluris interest, quam res valet,  
vel empta est.

## TH. VII.

Significatio porro hujus vocis in Legibus non eadem  
obvenit. Nam dicitur (1) pro Juribus Status & conditione  
quadam civili ejusque tutitione in l. 19. C. d. liber. caus. ibi:  
Cum te eum ad libertatem perduxisse, profitearis, illius inter-  
est magis solenniter suum tueri statum (2) pro utilitate  
publica. Ita Reip. interesse dicitur, ut mulieres salvas ha-  
beant dotes l. 1. d. jur. dot. (3) Pro Utilitate privata Rerum,  
siquidem in l. 3. §. 9. ff. ad exhib. judici praeципitur, ut in actio-

ne ad exhibendum summatum cognoscat, an actoris inter-  
sit, rem exhiberi.

TH. VIII.

Synonymiam quod spectat describitur interesse (1) per  
*Sumtus* in rem factos, uti declarat Paulus in l. 43, circ. fin. d.  
*Aet. Emt. Vend. ibi:* *De sumtibus vero, quos in e-  
rudiendum hominem emptor fecit, videndum est,  
nam empti iudicium ad eam quoque speciem suffi-  
cere existim: Non enim pretium continet tantum,  
sed omne, quod interest emotoris servorum non evinci.*  
Deinde effertur (2) per *Fructus* scilicet civiles, qui occasio-  
ne & commoditate alicujus rei vel juris percipi possunt. Ita fructus servitutis estimantur ex eo, quanti intersit, ali-  
quem usu & exercitio servitutis non prohiberi. Elegan-  
ter hoc illustrat Ulpianus in l. 4. §. 2. ff. *Si serv. vind. ibi: In  
Confessoria actione qua de servitute movetur, Fruc-  
tus etiam veniunt.* Sed videamus, qui fructus  
servitutis esse posint. Et est verius id demum fru-  
ctuum nomine computandum, si quid sit, quod inter-  
sit agentis servitute non prohiberi. Sed & in nega-  
toria actione (ut Labeo ait) fructus computantur,  
quanti interest petitoris non uti fundi sui itinere ad-  
versarium.

TH. IX.

Quanquam vero Interesse affectionis in complexa sua  
notatione ita conjunctim ipsissimis verbis in Legibus non  
occurrit; Attamen frequenter exprimitur per pretium &  
interesse rei singulare l. 43. §. 3. ff. d. aet. emt. vend. Tren-  
tacing.

tacinq. Var. Resol. Lib. I. Resol. I. tit. de Interesse num. 71.  
It. per Pretium affectionis in l. 33 ff. ad Leg. Aquil. Ali-  
quando simpliciter Interesse dicitur in l. 45. ff. d. Minor.  
Conf. Rebuff. in d. l. un. C. de sent. qu. fer. pro eo qu. inter.

### TH. X.

Nobis ergo hoc loco Interesse Affectionis nihil aliud  
denotat, quam Respectum quendam & Aëstimationem  
Civilis quam Judex circa causam in Judicium deductam  
habere potest, ut ultra commune & vulgare rei pretium  
aliquid adhuc ex justa petitoris affectione adjudicare possit.  
Conf. Schneidevv. ad §. fin. Inst. d. Verb. Oblig. n. 19. Neq;  
hæc significatio in jure ac Legibus est incognita, siquidem  
hujus vestigium occurrit in l. 16. §. 1. ff. d. manum. vind.  
ubi Ulpianus JCtus de manumissione servi causa cognita à  
minore facienda ait: *Debet ostendere, hoc esse inter ipsos*  
~~et~~ *ut proinde vel ex lege donationis, vel ex affectione*  
*eius, qui dedit, res aëstimetur.* Et hoc porro est, quod  
in l. 36. ff. d. bon. libert. aperte pretium ab affectu distingvi-  
tur, quia scil. affectionis ratio ultra pretium vulgare ad-  
huc attenditur. Verba sunt: *Veluti si predia sint aliqua ex bo-*  
*nis liberti, in quibus majorum patromi sepulera sint, & magni aësti-*  
*mat paronus bonorum possessionis jura pro parte ea ad se pertinere, vel*  
*aliquid mancipium, quod non pretio sed affectu sit aëstimandum,*

### TH. XI.

Differit ergo Primo ab Interesse communi, quod ex  
usu populari & forensi aëstimatur; Hoc enim ex pretio  
vulgi definitur iuxta l. si servum 33. ff. ad Leg. Aquil. & l.  
pretia rerum 63. ff. ad Leg. Falcid. At illud singulare est,  
& propter certam qualitatem singulariter ex unius speciali  
affectione aëstimatur. Schneidevv. ad § fin. Inst. d. Oblig.

Verb.

B 2

TH. XII.

### TH. XII.

Secundo differt à poena conventionali, quæ in casum moræ vel violati contractus à partibus adjicitur. Hæc enim certa est & pactis contrahientium determinata, nec taxa quadam judiciali aut probatione indiget. Struv. *Syst. Civ. Exerc. 44. th. 5.* Atvero interesse affectionis incertum est & speciatim probari deberet.

### TH. XIII.

Fundamentum & causa interesse affectionis alterum est, à parte ejus, qui illud sibi adjudicari petit, nimirum justa circa Rem, Factum vel Personam affectio & descendens inde honesta utilitatis ratio. *I. 16. §. 1. ff. d. manum. vind.* A parte vero ejus, à quo petitur causa est, præcedens factum aliquod injustum vel mora in præstatione rei facti-  
ve interveniens. Trentacinq. *var. Resol. Lib. 1. Resol. 1. tit. de Interesse n. 71.*

### TH. XIV.

Faciunt Interesse affectionis duplex, alterum affe-  
ctionis tantum; alterum affectionis cum utilitate conju-  
ncta? Illud dicunt, quod ex speciali affectu procedit, ut si  
servum meum, filium naturalem &c. quis occiderit quem  
ex affectione æstimo. Hæc affectio non venit in conde-  
mnationem, nec illam auget, sed quanti res revera valet,  
inspicitur arg. *I. 33. ff. ad Leg. Aquil. I. fin. ff. d. oper. serv.*  
Hoc vero continet præter affectionem & communem rei  
valorem etiam utilitatem quandam litterariam vel pecunia-  
riam & auget condemnationem arg. *I. videamus §. 1. ff. d.*  
*in lit. jur. Schneidev. ad §. fin. Inst. de Verb. Oblig. n.*  
*21. 22.*

### TH. XV.

Nec tamen nuda quadam affectio circa rem sufficit,  
sed

9.

sed debet illa ex justa & Legibus probata *Causa* procedere  
Mev. Part. VII. dec. 268. n. 2. Quo referri potest illud,  
quod ad Legem Aeliam Sententiam scribit Ulpianus in l.  
16. pr. ff. d. manum. vind. Illud in causis probandis memi-  
nisce judices oportet, ut non ex luxuria, sed ex affectu  
descendentes causas probent, neque enim deliciis, sed justis  
affectionibus indulgendum. Conf. Ruland de Commiss. Lib. I.  
cap. 19. & seqq.

### TH. XVI.

Circa hanc proinde *Causam* requiritur (I) ut sit *Ho-  
nesta* & *Rationabilis* nimirum ut lege & ratione probabili-  
fundetur. Insinuat hoc ipsum ex Neratii Responso Ulpia-  
nus Jctus in l. 3. §. 11 ff. ad exhib. ubi officium judicis in  
hac actione ad exhibendum ita definit, quod debeat co-  
gnoscere an actor *justum* & probabilem *causam* habeat  
*actionis* propter quam exhiberi sibi desideret. Id quod ta-  
men non ad hoc solum judicium est restringendum, sed  
ex paritate rationis recte in omni determinatione inter-  
esse & in primis affectionis locum habere debet.

### TH. XVII.

Ex his ergo à Contrario sequitur; quod affectio ex  
causa *inhonesta* proveniens petitionem alicujus interesse  
non fundet. Talis *inhonesta* affectio est erga meretrices  
l. *affectionis* s. ff. d. *donat*. Similiter non est sufficiens  
affectionis vel estimationis causa, si quis à *clandestina a-  
masia* rem<sup>o</sup> donatam referat. Vid. Schneidev. ad §. fin.  
Inst. de oblig. Verb. n. 21. Hæc enim licet meretrix dici  
non possit, tamen fortivi issi amores & *clandestinus* ac-  
cessus suspicionem in honestam facit, & sic jure affectio-  
nis nomen non meretur.

B 3

### TH. XVIII.

**TH. XVIII.**

Proveniunt autem istae affectionis causæ probabiles vel ex affectione circa Personam; Vel circa Rem ipsam, quam aliquis petit. Siquidem fundamentum affectionis duplex esse potest; Aliud, quod oritur ex ipsa rei qualitate, quatenus illa estimationem civilem recipit ex natura sua vel relatione extrinsecus accidente; Aliud vero, quod ipsi advenit intuitu personarum, à quibus rem habemus, vel quarum respectu factum præstari volumus.

**TH. XIX.**

Et quidem utræque Causa vel ex *Naturali* propensione, vel *Civili* quadam ratione procedunt. Ex his ergo summum gradum constituit *Affectionis sui ipsius* si ordinata illa fuerit, atque juxta regulas civiles ac morales bene disposita arg. *I. Preses 6. Cod. deservit. & Aqu.* Et hæc ratio est, cur judex in decernendis tam immisionibus quam executionibus & capiendis vi mixti imperii pignoribus ad illas res, quas retinere singulariter debitoris intereat, non nisi in extremum subsidium devenire possit, *I. 4. C. d. exec. rei jud.* Ut sunt instrumenta artis & officii, arma militum, nec non libri, aliaque res, quæ in cariori debitoris estimatione esse censentur Vid. *Coler. de Proc. Execut. Part. II. Cap. 3. n. 130. &c. seqq.* *Carpz. de Proc. tit. 25. Art. 2.* Ex pari ratione deducitur, quod Transactiones in criminibus capitalibus fieri possint etiam abolitione à Prætore non impetrata, tam à parte accusatoris, ut nec incidat in poenam talionis aut *SCti Turpiliiani* nec in crimen concussionis *I. I. 13. §. 1. ad SCti Turpili.* tam à parte rei, neque hic confiteri crimen intelligatur *I. 1. de bon. eor. qv. ant. sent.* Cum uteisque non tam sceleris conscientia pacisci censeatur, quam ad incer-

incertum litis eventum & sanguinem suum redimendum  
juxta l. transfigere 18. Cod. d. transact. l. ult. de prævaric.  
Struv. Synt. Civ. Exerc. VI. th. 61. Vinn. de Transact. cap. 8.

TH. XX.

Proximum post se ipsum occupat locum *Affectio Suorum* quos sanguinis ratio invicem conjungit, qua præponderat affectioni erga extraneos. Atque hic primo loco censendus est affectus, qui inter parentes & liberos intercedit, qui non tantum natura fundatus, sed legibus quoque civilibus approbatus deprehenditur l. 28. §. 3. d. liber. leg. l. II. §. ff. qu. fals. tut. gest. l. 14. §. 7. de bon. lib. Id quod non solum capiendum est de affectu paterno erga liberos ult. C. d. cur. fur. Sed etiam de materna affectione erga eosdem l. 6 § 3. Cod. desec. nupt. Eademque affectionis ac pietatis præsumtio etiam ad parentes & liberos secundi vel ulteriorum graduum extenditur arg. l. 45. ff. fol. matrim. Facit proinde hoc ipsum interesse affectionis, ut juxta d. l. 45. ff. fol. matrim. stipulatio de dote reddenda ab avo, licet materno, & licet neptis in patris potestate existat, interposita, tamen nepti pro sit ad utili actionem de dote reperenda consequendam; quamvis alias ex stricta juris ratione neptis avo sit extranea, cui stipulando non acquirat l. 26. C. de jur. dot. Quod tamen dubium eleganti ratione discutitur in d. l. 45. ibi: *Favore enim nuptiarum & maxime propter affectionem personarum ad hos decurrentium est.*

TH. XXI.

Æquali porro affectionis jure cum liberis legitime natis fruuntur liberi per subsequens matrimonium legitimati arg. l. 20. Cod. de natur. lib. Pariterque affectionis ratio ad alumnos & educatores pertinet l. 26. C. de Nupt.

TH. XXII:

TH. XXII.

Proximi post ascendentes & descendentes in affectione sunt *Collaterales* frater scil. ac sorores & reliqui cognati. Ut eleganter hunc naturae ordinem demonstrat Ulpianus in *l. so. de legat.* 1. ubi §. 3 *in fin.* de verbis legati dubiis interpretandis ait; quod spectanda sit mens patris familias, & legatarii dignitas vel caritas & necessitudo. Similiter in loco ad educationem pupilli eligendo, affectionem singulorum explorandam esse jubetur *l. 2. Cod.* ubi *pup. educ.*

TH. XXIII.

Ex arctissimo illo corporum & animorum vinculo, quod inter conjuges intercedit, oritur quoque mutua coniugum affectione, quam tam in contrahendis matrimonii, quam expensis, & aliis causis matrimonialibus plurimum spectatur. *l. 11. pr. Cod. de repud.* Nov. 74. cap. 4. *l. 13. Cod. d. neg. gest.* Mantic. d. tac. & ambig. *Convent. L. 21. t. 2. n. 3.* Cujus effectum inferius videbimus.

TH. XXIV.

Naturalem affectionem imitatur illa, quæ ex cognatione spirituali suscepta inter baptizatum & patrimum intercedit. Elegans in hanc sententiam textus extat in *l. 26. in fin. Cod. d. nupt.* ubi Justinianus Imperator ait: *Ea videlicet persona omnimodo ad nupias venire prohibenda, quam aliquis sive alumna sit, sive non a sacro sancto suscepit baptismate, cum nihil aliud sic inducere potest paternam affectionem & justam nuptiarum prohibitionem quam bjujusmodi nexus, per quem Deo mediante anime eorum copulatae sunt.*

TH. XXV.

Affectionem quoque inter domesticos licite ac civiliter recte intercedere, declarat *l. 1. Cod. d. neg. gest.* ubi deciditur, ut, si quis pro affectione domestica aliquos sumtus fecerit

fecerit, nulla ratione eos repetero posse Conf. Mantic. d. tac. & ambig. Convent. L. 15, tit. 20. n. 5.

### TH. XXVI.

Similiter honesta est affectio inter Tutorum & pupillum, nec non Curatorem ac Minorem. Unde licet Tutorum ac Curatorum munus non exigat, ut teneantur in item jurare, & sub alieni compendii emolumento etiam perjurii periculum subire l. 4. pr. ff. d. in lit. jur. Setser d. juram. Lib. V. cap. 4. n. 15. Si tamen Tutor vel Curator jurare velit, admittitur Donell. L. 26. Comment. cap. 7. ibid. Hilig Lit. G. Idque ipsum propter interesse affectionis concedi dilucide declarat l. 1. C. d. in lit. jur. ibi: si debitam quondam pupillo affectionem ad vincula quoque religionis extendere volueris.

### TH. XXVII.

Datur quoque affectioni locus inter amicos familiaritatem invicem junctos, quod eleganter declarat l. 223. §. 1. ff. d. Verb. Signif. ibi: Amicos appellare debemus, non levi notitia coniunctos, sed quibus fuerint iura cum paire familias honestis familiaritatis quaestia rationibus. Ex hoc est, quod Paulus meminit in l. 58. §. 1. ff. de hered. Inst. Quod, qui frater non est, si fraterna caritate diligitur, recte cum nomine suo sub appellatione fratris heres instituatur. Id quod non tantum de fratribus adscititiis juramento adsumitis intelligendum, quod illi recte sub appellatione fratrum haeredes possint institui, adeo, ut non nulli tradant, illis infames aut macula notatos non posse præferri, alias præteritis querelam in officiis compete. re Thesaur. dec. 113. Merlin. de Legit. tit. 2. qu. 13. num. 39. quam tamen sententiam nostram non facimus, perea, quæ tradit. Heig. ad Inst. tit. d. Hered. qu. ab intest. def. cap. 5. Ordin. 3. num. 47. Sed etiam potest d. l. intelligi de haereditibus quibusvis extraneis, in quos ex nostro affectionis voto rerum nostrarum dominia transire volumus.

C

### TH. XXVIII.

### TH. XXVIII.

Pariter ex hoc principio fluit quod hæres institutus ob dilectionem filius esse censeatur. Ut proinde licet extraneus tutorem impuberi regulariter dare non possit; Attamen valeat tutoris datio impuberi in testamento facta, si quis illum hæredem instituat, licet institutus nihil in bonis habeat *juxta l. 4. ff. de confirm. tut. Gutier. de Zutel. Part. I. cap. 4. n. 12.*

### TH. XXIX.

Denique propter collata beneficia honesta censetur esse affectio inter donatorem & donatarium, uti declarat *l. 8. Cod. de Oblig. & A<sup>z</sup>.* Unde deducitur quod, licet ob supervenientiam liberorum donatio censeatur revocata *l. 8. Cod. d. revoc. donat.* tamen illa ex præsumpta donatoris affectione quasi convalescat & confirmetur, si liberi nati vivo rursus donatore decesserint, neque donatio actu fuerit repetita. *Perez. ad. tit. Cod. d. revoc. donat. n. 30. Struv. Synt. Civ. Exerc. 40. th. 16. in fin.*

### TH. XXX.

Præter affectionem qua jure licito in Personas cadit, datur etiam Affection in Res, ex ratione naturali vel civili orta. Uti est (1) circa Res qua à Parentibus vel majoribus nostris proveniunt. Disserte hoc notat Hermogenianus *J<sup>u</sup>Ctus in l. 35. d. minor.* ubi ait: *Audietur, si ejus interesse, emtam ab eo rem suisse, adprobetur, veluti, quod majorum ejus fuisset,* unde, licet Statuto quis cogi possit, ad vendendas ædes suas, tamen hoc non extenditur ad domum avitam vel paternam. Neque lex præsumit malignitatem in eo, qui recusat vendere domum suam paternam & majorum suorum in qua natus est, & in cuius parochiali Ecclesia sunt sepulcra sua, prout latius deducit *Alciat.*

91

Alciat. Lib. II. Conf. 13. Est hæc ipsa non ultima ratio  
Juris Retractus qui proximis consanguineis ex Constitutione  
Friderici conceditur, ut non tantum ad familias conser-  
vandas sed etiam propagandas affectiones, quasi rebus  
quodammodo cohærentes, ipsi in emtionibus istarum re-  
rum aliis præferantur Conf. Struv. Synt. Civ. Exerc. 23. th.  
56. Notant tamen interpretes hoc ipsum interesse affec-  
tionis locum tantum habere in judiciis bon. fid. vel actio-  
nibus arbitrariis Coler. dec. 15. n. 7. Schurf. Cent. 1. Conf.  
100. n. 9.

### TH. XXXI.

(2) Huc pertinet Affectione quæ cedit in doctrinam &  
litteras, quam aperte declarat l. ad exhibendum 19. ff. ad  
exhib. ubi diserte Paulus Jctus: Nam illa ratione etiam studio-  
sum alicuius doctrina posse dicere, sua intereste, illos aut illos libros sibi  
exhiberi, quia, si essent exhibiti, cum eos legisset, doctior & melior futu-  
rus esset. Quamvis vero in d. l. interesse hoc litterarium  
ab interesse communi ac pecuniariori satis perspicue distin-  
gvatur, adeoque nec in actione ad exhibendum attenden-  
dum sit; Attamen per illud non negatur, quin non in aliis  
causis illud ex affectione singulari estimationem aliquam  
civilem subire possit. Et ita, si quis alteri librum com-  
modaverit, apostillis, remissionibus & scriptis refertum, si  
per contumaciam reddere commodatarius nolit, aut propter  
dolum admissum reddere non possit, nonsolum ad pre-  
mium commune tenetur, sed etiam ad singulare interesse  
affectionis ex prudenti judicis arbitrio determinandum  
Trentacinq. Lib. I. Resol. I ad tit. de Interesse n. 71. Schnei-  
devv. ad S. fin. Inst. d. Verb. Oblig. n. 22.

### TH. XXXII.

(3) Potest huc commode referri Ratio & Affectione  
Antiquitatis. Unde est, quod in documentis antiquitas  
C 2 idem

idem præstet, quod recognitio & potiora talia instrumen-  
ta testibus esse censeantur l. 10. ff. d probat. Adeoque etiam  
exempla antiqua in Archivis reperta & manu cognita scripta  
plenam facere fidem, tradunt Brunn. Proc. Civ. cap. 19.  
n. 10. Carpz. Part. I. Const. 17. def 38. Cujus rationem ex-  
hibet l. 29. §. sed ne forsitan antiqua oblitio Cod. d. testam.  
quia sc. reip. commodum exigit, antiqua servari nec in  
dubium vocari, quæ res à majoribus nostris gestæ testimoni-  
o destitutæ perpetuari queant Conf. Barbos. Thesaur.  
Loc. Commun. Lib. I. cap. 108.

#### TH. XXXIII.

(4) Huc pertinet Affæctio Raritatè, uti est estimatio  
veterum numismatum quibus teste Pomponio in l. 28 ff. d.  
usufr. veteres pro gemmis uti solebant l. 9. §. 4 ff. ad exhib-  
end. Theod. Rinck. ad tit. Cod. de veter. numism. potest  
th. 6. § seqq. Unde etiam raritas caritatem & estimatio-  
nem rei augere dicitur in cap. legimus 24. Dist. 93. Gometz,  
ad §. fuerat Inst. d. Action. n. 43.

#### TH. XXXIV.

(5) Affæctio Amœnitatis & Prospectus, qualis conser-  
deratur in servitutibus. Ita qui servitutem ne prospectui  
officiatur concessam habet, potest prætendere, ne ille ipse  
aspectus horrido & graviori aspectu in contrarium posito  
nimis gravetur l. 15. ff. d. servit. urb. pred. Manz. ad d. t.  
n. 121. § seqq. Struv. Synt. Ci. Exerc. VIII. th. 14.

#### TH. XXXV.

(6) Commodum & affæctio Vicinitatis arg. can.  
14. Caus. XII. qu. 1. Quæ ratio spectatur in emtione ven-  
ditione. Unde Cajus Ictus in l. 35. §. ult. ff. d. contrah.  
emt. venditorem ad interesse teneri ait, qui vicinum non  
indicaverit; ibi: *Siquis in vendendo prædio confinem ee-  
taverit*

*laverit, quem emtor si audiisset, empturus non esset, teneri venditorem.*

TH. XXXVI.

Ad generalia porro affectionis requisita in th. 16, memorata (II) pertinet, quod affectio illa, quæ fundat aliquod interesse civile debeat esse. *Finita*, ne scil. res immoderatè & in infinitum nimio æstimetur. Eleganter hoc exprimit *Justinianus* in l. un Cod. de ser. qu. fer. pro eo qv. int. ibi: *In aliis autem casibus qui incerti esse videntur, Judices, qui causas dirimendas suscipiunt, per suam subtilitatem requirere, ut hoc quod revera inducitur damnum, hoc reddatur, & non ex quibusdam machinationibus & immodicis perversionibus in circuitus extricabiles redigatur, ne dum in infinitum computatio reducitur, pro sua impossibilitate cadat: cum sciamus esse natura congruum, eas tantummodo panas exigi, que vel cum competenti moderamine proferuntur, vel à legibus certo fine conclusa statuantur.* Conf. *Faber* in Cod. Lib. IV. tit. 24, def. 2. Et ira in damni infecti stipulatione interesse honestum & moderatum spectandum esse, præcipitur eleganti textu in l. 40. pr. ff. d. damn. inf. ibi: *Ex damni infecti stipulatione non oportet infinitam vel immoderatam estimationem fieri. utputa ob tectoria, & picturas, licet enim in hac magna erogatio facta est, attamen ex damni infecti stipulatione moderatam estimationem faciendam: quia honestus modus servandus est, non immoderata cuiusque luxuria subsequenda.*

TH. XXXVII.

(IV) Debet esse circa rem propriam non alienam arg. l. 2. pr. ff. d. in lit. jur. cum affectio circa rem alienam in pravam concupiscentiam degenerare videatur. Nec sufficit illam nobis deberi ex contractu e. g. emti vel alio, ad transferendum habili arg. l. 4<sup>o</sup> Cod. de Act. emt. Sed illam nostram esse oportet jure aliquo dominii, ita ut judicio quodam petitorio à nobis vindicari possit. Struv. Synt. Civ. Exerc. 17. 64.

TH. XXXVIII.

Consideratur porro affectio præsentis temporis, futurum & in certum adhuc ex temporis & fortuna evenitu dependens non attenditur arg. l. 12. ff. detransact. Conf. Menoch. Conf. 333. num. 5. Fusar. de Subst. Quest. 318. num. 6.

TH. XXXIX.

Petere potest interesse affectionis omnis, cuius honestè interest, sive actor, sive reus sit, adeo, ut si rei intersit, minoris fiat condemnatio, quam promissum est; Si actoris, tunc, ut reus ultra rem ejusve premium interesse adhuc præstare debeat, l. 2. §. pen. & ult. ff. d. co qv. cent. loc. Conf. Myns. Cent. V. Obs. 4. Scotan. Disp. ad Pand. XXXI. th. 20. & segg. Neque interest, an petatur interesse ab iis, inter quos lis principaliter intercedat, an vero ab eo, qui intervenit pro suo interesse, quatenus illud in jure & facto fundatum esse apparet Hiltrop. Proc. Judic. Part. 2. tit. II. Requiritur autem, ut petentis tantum intersit, non tertii, ex persona enim petitoris interesse illud præcipue aestimatur, cum ex affectu personalissimo dependeat.

TH. XL.

Recipiunt aestimationem affectionis non solum *Res*, sed etiam *Facta* in obligationem deducta, quæ fieri nostra interest. Unde est, quod etiam mandatum aliena tantum causa factum sustineatur l. 2. §. 2. ff. mand. Struv. Synt. Civ. Exec. XXII. th. 8. Ratio quidem dubitandi esse potest, quod supra diximus, spectari affectionem tantum circa rem propriam non alienam. Eacta autem non videantur esse nostra, sed dependere ab alieno promissoris arbitrio, ita, ut nec quis præcise ad factum præstandum cogi possit l. 68. l. 72. pr. ff. de Verb. Oblig. Coler. de Proc. Exec. Part. I. c. 6. n. 78. &c. Etsi factum non sit in nostra potestate, tamen interesse ex facto ortum nostrum esse intelligitur, siquidem

dem stipulatio, poena ac mora ipso jure committi dicitur,  
l.12. Cod. de contrah. & committ. *stip.* Et licet incertum  
adhuc sit in petitione, tamen certum est in se, & postea  
per sententiam judicis declaratoriam determinatur. Quic-  
quid enim in rebus traditio operatur, ut transferat Do-  
minium & affectionem circa rem propriam fundet; Idem  
hoc casu in factis promissis operatur commissio seu existen-  
tia obligationis ad praestandum interesse, cum facta aliter  
communicari non possint.

TH. XLI.

Res quod attinet, tales esse debent, ut sint in commer-  
cio, atque estimationem specialem recipient. Non ergo  
huc pertinent Nummi siquidem in illos specialis aliqua af-  
flectio cadere non potest, cum certa quolibet loco & tem-  
pore ipsorum estimatio habeatur & per illos demum pre-  
tia rerum desiniantur. Expresso hanc in rem loquitur Ul-  
pianus in l.3. ff. d. in lit. jur. ibi: *Nummis depositis judicem*  
*non oportet in item iurandum deferre, ut juret quisque*  
*quod sua interfuit, cum certa sit nummorum estimatio,* &  
apertius adhuc Javolenus in l. 42. ff. d. fidejuss. Non, ut estim-  
atio rerum, que mercis numero habentur, in pecunia numerata fieri po-  
test, ita pecunia quoque merce estimanda est. Restrингunt tamen  
hoc interpres ad nummos vulgares & usuales Pfeil. Cent.  
2. Conf. 60. n.9. Secus proinde est in veteribus numismati-  
bus, quæ instar mercis estimari possunt, & propter antiqui-  
tatem & raritatem specialem affectionem recipiunt. Conf.  
Stryck. Uf. Modern. Pand. tit. de in lit. jur. S. 2. Ménoch. Lib. II. A. J. Q.  
Cas. 207. n. 7. & seqq. Potro limitatur, si petatur interesse sin-  
gulare extra rem, ut est exemplum in allegata l. 3. ff. d. in  
lit. jur. in pecunia deposita, nam, si ea non reddatur, non  
defertur juramentum in item affectionis, ut juret actor,  
quod sua interest, nummos non habere, sed quanti sua, ra-  
tione

tione temporis ac moræ interfuerit, die sua nummos redditos non fuisse si v. g. propterea ab alio nummos sub usuris accipere fuerim coactus. Trentacing. Lib. I. Res. I. tit. de Interesse n. 79.

TH. XLII.

Ipsas denique causas in specie, quod attinet, in quibus ratio & interesse affectionis est spectandum, sunt istæ multiplices. Ex his ergo primo huc pertinet, quod JCtus in Legibus tam interpretandis quam applicandis ad *affectionem* respicere debeat. Est enim nota juris Regula: Quod affectio faciat cessare generales jurium Dispositiones. Exemplum hujus elegans habetur in l. 62. pr. ff. d. contr. ent. ubi judici vel officiali in provincia, licet generaliter prædia comparare interdictum sit, tamen permittitur bona paterna redimere, ne à fisco distrahanter, ob affectionem scil. singularem & ut ita magis fama paterni honoris conservetur, neque enim Princeps per suas leges naturalis affectus rationem tollere voluisse censendus est; Et hinc est, quod affectio omnem aliam præsumptionem vincere dicatur l. 10. C. d. legat. Carpz. Lib. VI. Resp. 28. n. 7. & seqq.

TH. XLIII.

Ex jure & statu personarum absoluto, huc pertinet, quod justa habeatur manumissionis causa, quam minor 20. annis juxta Legem Æliam Sentiam probare debet, quando probata jure *Affectio* appareat, si quis v. g. patrem aut matrem filium, filiamve aut fratres, sororesque naturales aliasque personas, in quas singularis affectio cadere potest, manu mittere velit, juxta s. s. Inst. qu. 8<sup>o</sup> ex quib. *caus. manum.* Nec tantum propter affectionem propriam; Sed etiam propter affectionem vendoris justa habetur manumissionis causa, uti tradit L. 16. S. i. Cod. d. manum. vind.

TH. XLIV.

Ita quoque si dominus servum suum affectione honesta accen-

91

accensus actis intervenientibus filium suum nominaverit tacite manumissus & liberatus ita à dominica potestate esse censetur §. ult. *Inst. de Adopt.* & diserte hoc docet *Justinianus in l. 1. §. 10. Cod. de Lat. Libert. toll. ibi:* Simili modo si dominus inter acta quendam servum filium suum nominaverit, voci ejus, quantum ad liberam conditionem, credendum est. Si enim ipse tali affectione fuerit accensus, ut etiam filium suum servum nominare non indignetur §c.

TH. XLV.

Ex statu hominum relato ad familiam hic observatum dignum occurrit. Quod propter affectionem nuptiarum sunt prohibita inter susceptorem ex sacro baptismate l. 26. §. fin. *Cod. d. nupt.* Id quod deinde Jus Canonicum tit. *de Cognat. spirit.* latius extendit, adeo, ut si quis susceptam ex sacro fonte duxerit incestum committat. *Sanchez de Matrim.* Lib. VII. Disp. 54. § seqq. *Farin. Prax. Crim. quest.* 149. n. 48. § seqq. Quæ tamen prohibitio moribus nostris non attenditur. *Brunn. Jur. Eccles.* Lib. II. cap. 16. §. 19. Quia vero hoc etiam Jure Civ. prohibitum, ideo tutius putant, peti hoc casu dispensationem, nisi contrarium vel conservudine vel Jure Provinciali aut statutario inductum esse, probetur. Vid. *Berlich. Part. IV. Conclus.* 32. n. 24. § seqq.

TH. XLVI.

Facit è contrario affectionis ratio, ut licet alias matrimonium intet tutorem & pupillum sit interdictum, ne scil. ita serationibus reddendis subtrahat, & facile substantia pupillares intervertantur *H. Cod. de interd. matrim. int. tut. & pup.* Tamen admittat affectionis ratio, ut avus neptem ex filio emancipato, cuius tutelam gesserat, possit etiam Jure Civ. elocare nepoti ex alio filio, quia par

D

affectio

affectionis excludit omnem suspicionem sequiorem. Diserte  
hoc exprimitur in l. 67. §. 1. ff. d. Rit. Nupt. ibi:  
De uno dubitari potest: si avus tutelam gestu neptis ex filio emancipato  
nate, an nepoti ex altero filio eam collocare possit, sive emancipato  
sive manenti in potestate; Quia pars affectionis causa suspicionem  
fraudis amovet. Sed eti⁹ SCum frusto jure contra omnes tutores miti-  
tur, attamen summae affectionis avite intuitu, hujusmodi nuptiae con-  
cedenda sunt. Quanquam vero haec prohibitus moribus no-  
stris cesset, attamen non incommoda ad jura statutaria  
applicari potest, si ex certa ratione matrimonium tale re-  
periatur prohibitum.

### TH. XLVII.

Deinde est notabile, quod ad essentiam matrimonii  
sufficiat sola affectione conjugalis mutuo partium consensu  
firmata l. nuptias 30 ff. de Reg. Jur. Unde Imperator in  
l. II. Cod. d. repud. expresse lancit: Jubemus, ut quicunq;  
mulierem cum voluntate parentum: aut si parentes non  
habuerit sua voluntate maritali affectione in matrimonium  
accepit: etiam si dotalia instrumenta non intercesserint, nec  
dos data fuerit tanquam si cum instrumentis dotalibus tale  
matrimonium processisse firmum conjugium eorum habeatur:  
non enim dotibus sed affectionibus matrimonia contrahantur.  
Et hinc concludunt interpretes quod maritus uxorem,  
quia in dotata est, repudiare nequeat, neque uxor ob non  
solutam dotem repelliri possit Fachin. Lib. III. Contr. 48.  
Covarruv. Part. II. de sponsal. cap. 7. n. 2. Brunnem, ad  
d. l. II. Cod. de repud.

### TH. XLVIII.

Circa officium maritale hic notanda est decisio, quod  
licet maritus procurator uxoris esse non prohibetur l. 21.  
Cod. d. procur. eidemque administratio bonorum para-  
phernalium legitima competit l. 8. l. ult. Cod. de pact. con-  
vent.

vent. Tamen Jure Civ. ipsi veluti furiosa , aut in bonis  
receptitiis dari non possit l. 14. ff. de Curat. furios. Uti  
constat ex Rescripto Alexandri Imp. in l. 2. Cod. qu. dar.  
tut. vel Curat. ibi : *Maritus, et si rebus uxoris sue debet*  
*affectionem, tamen curator ei creari non potest.* Rationem  
vulgo hanc assignant, ne forte male administret, cum propter  
imperium maritale securus esse possit de rationibus red-  
dendis, nec suspecti infamiam metuere debeat l. 4. Cod.  
*Excus. tut.* Nec obstat §. 39. Inst. d. *Excus. tut. ubi ex-*  
*cusare se tantum posse dicitur maritum.* R. Excusatio hic  
impropriæ dicitur, idemque est ac ipso jure prohiberi, quo  
sensu & aliis , qui tamen tutores esse non possunt , excu-  
sare se posse dicuntur in l. un. Cod. qu. morib. Hopp. ad d.  
§. 39. Inst. de *Excus. tut.* Verum hodie non tantum Jure  
Sax. sed etiam consuetudine quadam ferè communi re-  
cepimus , ut mariti siant tutores ac Curatores uxorum le-  
gitimi Gail. Lib. I Obs. 133. n. 1. Cothmann, Vol. I. Cons. 8.  
n. 82. Inde etiam regulariter uxores nec contrahere, nec  
se validè obligare possunt sine maritorum suorum consen-  
su Mcv. ad Jus Lubec. Lib. I. tit. 10. art. 1, n. 18. Excipitur  
tamen uxor mercatrix, quippe quæ in negotiis ad merca-  
turam pertinentibus contrahere potest , etiam  
absque mariti consensu Sande Lib. II. Decis. tit. 4. def. 3.

#### TH. XLIX.

Facit porro affectionis ratio & alimentandi necessitas,  
ut maritus impensas in curationem uxoris factas nequeat  
repellere, neque illas possit de dote ad patrem forte re-  
versura deducere juxta l. 13. Cod. d. neg. ges. ib: *Quod in uxorem*  
*tuam agram erogasti, non à socero repellere, sed affectioni tue debes*  
*expendere.* Atque hoc procedit, etiamsi uxor indotata esset,  
quia tales impensæ referuntur ad alimenta , quæ etiam in-

dotatæ uxori debentur Coler. de *Alim. Lib. I. cap. 10. n. 4.*  
Ampliatur ulterius, licet ultra fructus illatæ doris fuerint  
factæ, censentur enim erogatæ ex pietate conjugali & ideo  
donatae Surd. de *Alim. tit. I. quest. 33.*

TH. L.

Est quoque honesta Causa eligendi tutorem testamen-  
tarium amicitia & affectio, quæ testatorem ad id munus  
alicui deferendum commoverit, quod proinde facit favo-  
rabilem ultimæ voluntatis interpretationem; Unde si tu-  
tori in testamento dato legatum relictum fuerit, simulque  
ille filio impuberi substitutus datus, legatum quidem ex-  
tinguitur, si nolit tutelam suscipere, cum tacitam hanc condi-  
tionem in se continere videatur *I. 28 ff. d. tut. testam.* Ait sub-  
stitutio censemur pura, neque verosimile haberi debet etiam  
testatorem in illum demum casum substituisse, si & tutelam  
suscepisset, cum talem interpretationem propensa testa-  
toris affectio non admittat *I. 36 ff. d. excus. tut.*

TH. LI.

Pariter uti jus dandi testamento tutorem ex affectio-  
ne estimatur; Ita quoque quilibet favore & amicitia erga  
pupillum ductus tutorem potest facere suspectum, si se ma-  
le circa administrationem tutelarem gerat *I. 1. Cod. d. neg.  
ges.* Est enim postulatio suspecti species accusationis pu-  
blicæ, quæ proinde omnibus patet *§. 3. Inst. d. suspect. tut.*  
Refertur autem hoc ipsum ad officium pietatis; Unde sicuti  
loquitur Ulp. in *I. 44 ff. de neg. ges.* Is qui amicitia ductus paterna pu-  
pillis tutorem petierit vel suspectos tutores postulavit, nullam adversus  
eos habet actionem secundum *Divi severi constitutionem.* Agit ni-  
mirum J. Cris de actione ad repetendas impenas eo nomine  
erogatas, uti casum explicat *I. 1. Cod. d. neg. ges.* solent ta-  
men

men interpres restringere ad impensas modicas Menochi.  
Lib. 2. A. J. Q. Cas. 88. n. 6. Coler. Tract. de Alim. L. 3.  
cap. 5. n. 12.

### TH. LII.

In pupillorum porro educatione ordinanda, apud quem potissimum morari vel educari debeat præter judicium patris l. 1. ff. b. 1. respicitur ad affectionem singulorum, quibus cura maximè commendari possit. Dixerit hoc declaratur in l. 2. Cod. ubi pupill. educ. deb. ibi : *Utrum nepos tuus ex filia, apud te, an apud patrium suum morari debeat, ex singulorum affectione & qui magis ad suspcionem ex spe successionis propior sit estimabitur.* Unde etiam est, quod licet jure Novellarum matri velavia tute la deferatur legitima Nov. 4. cap. 7. Auth. Matri & avie Cod. qui mut. tut. offic. fung. tamen enim amittat, si ad secunda vota transierit, cum propter superinductum vitricum, censeatur affectionem erga liberos prioris matrimonii immutasse l. 12. Cod. d. administr. tut. Montan. de Tutel. cap. 32. Reg. 9. n. 23.

### TH. LIII.

A Juribus personarum transimus ad judicia realia quibus res ac jura rerum nobis vindicamus ac petimus, ubi etiam interesse affectionis in pluribus causis licet reprehendere ; Atque in his primo loco se offert causa hæreditaria quatenus in testamentis, hæredum institutionibus atque Legatis spectatur. Dilucidum hujus exemplum occurrat in l. 53. ff. d. hered. instit. quam supradict. explicavimus. Alterum est in l. 50. § ult. ff. d. leg. 1. Ubi interpretatio legati obscuri ex caritate erga legatarium desumenda praecipitur.

citur. Conf. Menoch. de *Præsumit.* Lib. 2. qu. 28 n. 1. & seqq.  
Ita quoque legatum Ecclesiæ in genere relictum non ad-  
dito certo nomine, ei debetur ad quam majorem affectionem  
habuit testator. Diserte hoc probat l. 26. § 2. Cod. d. SS.  
*Eccles.* ibi: *Si autem testator certum locum non apposuerit multa au-*  
*tem templo ejusdem tituli aut nominis in illa civitate inventa fuerint,*  
*vel ejus vicinia, siquidem in aliquo illorum defunctis frequenter ver-*  
*fabatur, & majorem erga illud habebat affectionem, illi templo vide-*  
*ri legatum relictum.*

## TH. LIV.

Eadem affectionis ratio militat in l. 10. Cod. d. Legat.  
Quod legatum rei alienæ uxori vel alia personæ conjunctæ  
relictum valeat, sive sciverit testator sive ignoraverit rem  
esse alienam Mantic. de *Conjur. Ultim. Volunt.* L. 3 t. 9. Quod  
adeo extendunt nonnulli interpres, ut forment inde regula: Quod ob ardorem amoris liciti valeat testamentum,  
quod aliás nonnihil desiceret Carpz. L. VI. Resp. 28.  
n. 10. Unde dicit Jason in *L. non dubium* Cod. d. testam. quod  
licet ex testamento inutili & non solenni regulariter non  
debeantur legata aut fideicomissa, fallat tamen singulariter  
in *testamento* 38. ff. d. fideicomm. libert. quando lega-  
tum relinquitur personæ valde dilecta, nam illa affectione  
facit, ut ex testamento etiam non solenni legata debean-  
tur, & receptum est, inquit Sichard. ad l. exigend. n. 8. Cod  
d. procurat, ut ardor licita affectionis operetur clausulam  
codicillarem, qua est, ut valeat testamentum omni meliore  
ratione & modo, quo potest. Sicuti dicimus generaliter  
in testamentis factis inter liberos non requiri solenni-  
tates juris Civilis, sed affectionem paternam supplere defi-  
nitum solennitatis l. ult. Cod. fam. hercisc. Graf. L. III. Rec. Sent.  
§. testamentum qu. 16. n. ult. Bruckm. Vol. II. Conf. t. n. 50. & seqq.

TH. LV.

## TH. LV.

6

Eodem pertinet, quod fideicommissum à liberis relictum ex præsumpta affectionis voluntate tacitam in se conditionem continere censetur, modo filius fideicommisso gravatus sine liberis decesserit clare id exprimit l. 102 ff. d. cond.  
Et demonstrat. Quod non tantū locum habet, si hæres fideicommisso substitutus sit extraneus, sed etiam si unus ex cognatis proximioribus fideicommisso honoratus fuerit l. 30 Cod. d. fideicomm. l. 17. s. pen. ff. ad S. Trebell. cum fortior habeatur affectus erga descendentes, quam collaterales arg. l. 7 ff. d. bon. damnat. Imo licet pia causa fideicommissum sit relatum, tamen tacita illa conditio inesse creditur Can. fin. Caus. XVII. qu. ult. Struv. Synt. Civ. Exerc. XXXVI. th. 24. Locum vero tantum habet in liberis gravatis, non si à collateralibus vel extraneis præstatio fideicommissi fuerit relata Carpz. Part. III. Const. 8. def. 9.

## TH. LVI.

169

Fluit ex iisdem principiis: Quod sub nexus pignoris generalis non cadant ea, quæ ad singularem debitoris affectionem pertinent, qualis est quotidiana suppellex, lecti, vestimenta &c. Expressè hanc in rem Ulpianus in l. 6. ff. d. pignor. ibi: obligatione generali rerum, quas quis habuit habiturusve sit, ea non continentur, quæ verisimile est quenquam specialiter obligatum non fuisse, ut puta suppellex item uestis relinquenda debitori. Et ex mancipiis, quæ in eo usu habebit, ut certum sit, eum pignori daturum non fuisse: Proinde de ministeriis ejus per quam ei necessariis, vel quæ ad affectionem ejus pertineant. Ratio apparet ex ipso textu quia non præsumitur, debitorem

torem talia obligare voluisse Frantz. ad tit. de pignor. n.  
214. ubi id ampliat, licet verba generalia sint, quia ante  
omnia voluntatis ratio habenda. Sed quæro si quis clau-  
sulis prægnantibus obligaverit omnia sua bona fæne exempt  
und ausgenommen; idem postea tamen alteri suppellectil-  
lem in specie obligaverit, quis potior? Et cum tales ex-  
tensiones plerumq; ex stylo Notariorum addantur & intel-  
ligi possint ea, quæ generaliter obligari solent, inde pro  
postiore Creditore judicatum refert. Joh. à Sande L. 3.  
tit. 12. def. 9. Negazan. de Pignor. Membr. II. Part. 2, n. 34.  
seqq. Brunn, ad d. l. 6. ff. d. Pignor.

### TH LVII.

Nec minus in judiciis personalibus, quæ ex pactis  
& Conventionibus oriuntur, interesse affectionis locum  
invenit. Notat hoc ipsum Papinianus JCtus in l. 7. ff.  
d. serv. export. ibi: *Quid si ne pœna causa exportaretur  
convenit etiam affectionis ratione recte agitur.* Et declarata  
rit id ipsum (1) in donationibus quæ ex affectione semel  
perfectæ non revocantur, licet donatarius illud, quod  
remunerandi causa promisit, non præstiterit. Casum  
hujus singularem refert l. 8. Cod. d. O. & A. ibi:  
*Siquidem donationis causa ei, quem ad affectione  
patris te dilexisse proponis, tuam accipere pecu-  
niam permisisti & banc tuam liberalitatem ille re-  
numerans te à procuratore suo aliam pecuniam  
sumere præcepit, rebusque humanis ante præceptio-  
nem fuit exemptus, nec quod dederas, recuperare,  
cum perfectam babuit donationem, nec quod tibi  
dari mandavit, nec dum tibi traditum petere potes*  
à Pro-

aprocurat. Atq; ratio hujus decisio in'aprico est, quia scil prior  
donatio perfecta penitus fuit, posterior noncum morte man-  
datum mandantis solvatur v. 10. Inst. mand. & nulla obligatio  
perfecta donatarium ad remunerationem obstringit, cum  
illa, quæ ex collatis beneficiis antidoralis nascitur obliga-  
tio sit imperfecta & nudo alterius pudori dicatur relinquiri  
sine effectu in foro civili l. 25. §. 11. d. petit. hered. l. 54.  
§. 1. ff. d. furt. Struv. Synt. Civ. Ex. VI. th. 11. Nec  
obstat. dictis l. 33. Cod. de donat. quia loquitur de Procu-  
ratore in rem suam, & actione competenti modo legitimi-  
mè cessa. Conf. Brunn. Commun. ad Cod. ad d. l. 8.

### TH. LVIII.

(2) Propter interesse affectionis etiam mandati  
agi posse, probat I Ctus in l. 54. pr. ff. mand. ibi:  
*Cum servus extero se mandat emendum, nullum  
mandatum est.* Sed si in hoc mandatum inter-  
cessit ut servus manumitteretur, nec manumis-  
serit, & pretium consequetur dominus ut venditor  
& affectus ratione mandati agetur. Finge filium  
naturalem vel fratrem esse, placuit enim Pruden-  
tioribus affectus rationem in b. f. judiciis esse ba-  
bendam.

### TH. LIX.

(3) Circa emtionem Venditionem interesse affectio-  
nis considerari non posse, afferendum videtur ex l. 33. ff.  
ad Leg. Aquil. ibi: *Servius Pedius ait pretia rerum non  
ex affectione nec utilitate singulorum sed communiter fungi.*  
Verum si legem istam accuratius perpendimus pertinet

E

illa

illa tantum ad estimationem damni , quod ex Lege Aquilia vindicatur & ita extra contractum incidit , ibi certe , cum in poenibus & odiosis stricta sit sequenda interpretatio , ideo pretium non singulare , sed commune ac populare consideratur . At vero secus est , si res incontractum deducta spectetur , quae omnino pretium etiam affectionis recipit l. 1. ff. d. Art. Emt. Vend. Sunt autem hic duo discernendi casus ; Aut enim res vendita nondum est tradita , & interesse affectionis peti non potest , licet dolo vendoris effectum sit , quo minus traditio fieri possit , cum ante traditionem adhuc respectu emtoris sit aliena adeoque affectionem ejus nondum rejiciat l. 4. d. A.E. Aut vero jam est tradita & forte rursus à tertio evicta , tunc omnino præter restitutionem pretii & impensarum , quas in rem feci , etiam interesse affectionis circa rem persequi non prohibeor , qualis est affectio ratione artificii . Casum interminis exhibit l. Julianis 13. §. 4 ff. d. A. E. V. ibi : Si vendor dolo fecerit , ut rem pluris venderet , puta de artificio mentitus est , aut de peculio , emitum judicio teneri , ut prestare emtori , quanto pluris servum emisset . si ita peculiatus esset , vel eo artificio instrutus . Pariter doctrinæ & institutionis affectionem spectari in re vendita evicta aperte notat l. Titius 43 §. fin. d. A. E. V. ibi : De sumib[us] vero , quos in erudiendum hominem fecit , emtor , videndum est : nam emitū judicium ad eam quoque speciem sufficere existimat : non enim pretium continet tantum , sed omne quod interest emtionis , servum non evinci . Conf. Treutacinq[ue]. Var. Resol. Lib. I. de Interesse n. 83. & seqq.

TH. LX.

## TH. LX.

(4) In Locatione conductione hoc singulare; Quod licet alias tempore locationis finito prior conductor non habeat jus aliquod prælationis, licet idem offerat, quod, alias *Pfeil. Cent. I. Conf. 55. H. Pistor. Obs. 162*. Attamen hoc limitant interpretes nisi prior conductor singulare aliquod interesse affectionis pto se allegare posse. Atq; ideo hæredes primi conductoris præferendos esse volunt in re-locatione, quia habent affectionem ad bona paterna *Franch. dec. 123.* Quam tamen affectionis rationem non indistincte admittendum censeo, sed æquitatis ratione simul nitantur; Et tantum ad hæredes primi gradus, non ulteriores pertinere puto arg. *I. antiquitas 14. Cod. de usuf. junct. l. 14. ff. de LL.*

## TH. LXI.

(5) Interesse affectionis consideratur in stipulationibus, ita, ut illa valeat, modo stipulatoris quoad affectionem inter sit arg. *I. 2. §. fin. Ad. Verb. Oblig. Struv. Synt. Civ. Exerc. 47. th. 21.* Valot vero hoc tantum catenus, quatenus de proprio stipulatoris commodo agitur, si ipse ex sua persona atque in rem suam paciscatur arg. *I. II. d. O. & A. secus* vero si quis nomine & in favorem tertii stipulari velit, ubi ad hoc, ut valeat stipulatio ex eo, quod stipulatoris inter sit, non sufficit interesse affectionis, sed pecuniarium requiritur arg. *I. 3. §. 3. ff. judic. solv.* Quæ sententia exinde illustrari potest, quia pater neque filiis emancipatis aut naturalibus ex concubinâ natis, ad quos tam datur honesta affectio, juxta superius tradita nec mater liberis licet ex legitimo matrimonio procreatis stipulando possit acquirere *§. 45. Inst. pe. qu. pes. acquir. Conf. Mantic. de tac. & ambig. Convent. Lib. XIV. tit. 28. n. 12.*

TH. LXII.

(6) Ex quasi Contractibus hic negotiorum gestio est memoranda, ubi licet juxta ordinariam regulam gestor teneatur ad culpam levissimam l. 9. §. 3. l. II. d. neg. gest. tamen si affectione singulari motus ad deserta alterius negotia quis accesserit, dolum duntaxat, & huic conjunctam in causis civilibus latam culpam praestare debeat. Diserit hoc innuit Ictus in. l. 3. §. 9. ff. de neg. gest. ibi : *Interdum in negotiorum gestorum actione Labeo scribit dolū solummodo versari: non si affectione coactus, ne bona mea distrahabantur, negotiis te meis obtuleris aequissimum esse, dolum duntaxat te praestare, qua sententia habet aequitatem Oldend. Clas. IV. Act. 25. in pract. n. 3.* Eodem modo etiam impensa ex pio affectu facta donata esse censetur, & cessat eius repetitio l. Nescennius 34. ff. d. neg. gest. Struv. Synt. Civ. Exerc. VII th. 54.

TH. LXIII.

In primis vero in praestationibus moræ ac poenæ conventionalis interesse affectionis sapient spectatur l. 31 ff. d. Evidit. sicuti eleganter hoc declarat Papinianus in l. 6. pr. ff. d. serv. export. ibi : *Caterum si ne prostituatur exceptum est nulla ratio occurrit, cur poena peti & exigi non debeat, cum & ancillam contumelia ad fecerit, & venditoris affectionem forte simul & verecundiam leserit.*

TH. LXIV.

In delictis porro ac poenis rationem affectionis habendam esse, monent interpres. Ut proinde meretrix dicenda non sit, que nimio amoris astu flagrans alteri flores

vixi-

virginitatis decerpentes permiserit, adeo, ut si testamen-  
to fuerit instituta haeres, querela locum non faciat Richt.  
*Dec. 1. n. 181.* Ex hoc quoque promanat, quod qui ex affe-  
ctione parentes, conjuges vel amicos delinquentes recipit,  
nequeat ordinaria poena puniri, cum affectionaliquantis per  
indulgendum sit *l. 2 ff. d. Receptat.* Et ideo ignoscendum ali-  
quatenus iis, qui consilium pro tuendis cognatis capiunt *l.*  
*22 ff. d. adult.* Ex quo infertur, parentem non posse compel-  
li, ut indicet filium facinorosum Carpz, *Prax. Crim. qu.* 134.  
*n. 52.* & uxor excusat, si maritum eriam rebellem sus-  
cepit Decian, *L. VII. cap. 34.* Brunnetm. *Com. ad Pand. ad*  
*d. l. 2 ff. d. receptat.* Ita porro si miles emanserit, datur venia  
propter affectionem parentum *juxta l. 6. s. ult. ff. d. re milit.*

### TH. LXV

Denique in ipsis negotiis judicialibus ad  
formam & merita processus spectantibus est hoc  
interesse affectionis attendendum. Et principaliter qui-  
dem spectatur circa personam Judicis. Ita ab affectione  
& conjunctione ut plurimum exceptio suspecti iudicis de-  
sumitur Mæv. *Part. II. de c. 77. n. ult.* Atque hæc exceptio  
pendente etiam judicio nata atque superveniens potest  
inqualibet judicii parte opponi Donell, *Comment. Jur. Cr.*  
*Llib. XVII. cap. 25. Lit. O.* Hinc pater in causa liberorum,  
tanquam Judex suspectus recusari potest *l. 10. d. jurisd. mo-*  
*do pars hanc exceptionem urgeat, volente enim parte, sine*  
*nullitate processus rectè judex esse potest, & ita lex obstante*  
*l. 77 ff. d. judic. resolvitur.*

### TH. LXVI,

Ex pari ratione propter studium propriæ affectionis  
nequit aliquis judex esse in causa propria *l. 17. d. judic. l. un.*

E 3

Cod.

*Cod. n. qu. in sua caus. judic.* Id quod etiam procedit in summo Principe, qui solet hoc casu in arbitros compromittere, vel juxta consuetudinem nonnullorum locorum se summis Tribunalibus aut judiciis Provincialibus ac Aulicis se submittere Wesenbec. *Lib. I. Conf. 33. n. 43.* Fallit tamen in actibus voluntariae jurisdictionis, qui ad simplicem partium instantiam peraguntur *l. 3 ff. d. adopt. l. 18 ff. d. manus. miss.* Item in causis, quæ officium publicum, quod quis gerit, concernunt, in illis enim non tam suam quam dignitatis & ordinis causam tueri ac defendere censetur arg. *l. 13. § 6. ff. d. injur.* Brunnem. *Conf. 166. n. 44.* Carpz. *Lib. VI. Respons. 97. n. 8. & seqq.* Idem porro procedit in arbitrio *l. pen. ff. d. reept. arbitr.* si nimis ut arbiter, non ut arbitrator consideretur arg. *l. 30. d. oper. libert.* *Conf. Blanc. de Comprom. Quæst. 2. n. 52. & seqq.*

#### TH. LXIV.

Favor porro affectionis id operatur, ut filius qui nec dum legitimam ætatem implevit, patris absentis causam, rectè defendat, uti rescribit Imp. Alexander in *l. exigendi* 12. *Cod. d. Procurat.* ibi: *sed multo justius fuit hujusmodi defensorum audire, quam te absentem, quasi contumacem & indefensum gravi condemnatione afficere.* Cum enim defensoris nomine quilibet etiam extraneus admittatur, modo cautionem de solvendo judicato præstet *§. 2.* *Inst. d. satisd. l. un. in fin.* *Cod. qv. satisd. cog.* Multo minus hoc pietati filii erit denegandum, si patre interveniat *Vid. Ærum. L. I. dec. 7. n. 35.*

#### TH. LXVIII.

Habenda porro affectionis ratio potissimum testimoniis ferendis, siquidem affectio magna, qualis est familiari-

liaritatis & propinquitatis impedit veritatem *Can. 12. Caus.*  
*3. qu. 5. Mæv. Part. VIII. Dec. 112. n. 5.* Hinc quilibet mi-  
nima etiam affectionis causa fidem minuit *l. ult Cod. d. fid.*  
*instrum. Mod. Pst. Bart. I. qu. 46.* Niū testis productus  
par sit erga reum æque atque actorem affectu , tunc enim  
par affectio suspicionem tollit. Hinc licet testimonium  
fratris pro fratre non sit idoneum , neque ob id juramen-  
tum suppletorium possit deferri *Farin. de testib. qv. 54. n.*  
*88.* Aliud tamen est , si ad utrumque par sit affectio , v.g.  
si cognatus inter duos cognatos deponat , quæ depositio  
valida est , & poterit ob eam juramentum deferri *Mæv.*  
*Part. IV. Dec. 313.*

### TH. LXIX.

Facit quoque affectionis ratio , ut amicus in causa a-  
mici appellare possit , licet speciali mandato non fuerit  
instructus *Mæv. Part. I. Dec. 91. n. 6.* Textus expressus est  
*in l. 2. s. 3. quand & intr qv. temp. appell. ibi: si pro eo, quæ*  
*capite puniri iussus est , necessaria persona appellat , anter-*  
*tiadie audiri possit , Paulus dubitat ; sed dicendum est ,*  
*banc quoque personam , ut in propria causa , secunda die*  
*appellare debere : quia sua interesse dicit , propriam causam*  
*defendere Conf. l. 12. Cod. d. Procurat. Arum. Lib. I. Dec.*  
*7. num. 31.*

### TH. LXX.

Hoc singulare interesse affectionis non posse exce-  
dere duplum diores in *l. un. Cod. 1. sent. qv. fer. pr. eo qv.*  
*inter. statuant , nisi singularis dolus concurrat , ad quem.*  
specialiter coercendum ultra duplum licet progredi *Tren-*  
*tacing. Lib. I. Resol. I. tit. d. Infer. n. 72.* Alii distinguunt  
inter

inter casus certos & incertos. Illi dicuntur, qui habent certam rem, naturam & quantitatem. Atque in his premium affectionis duplum veri valoris excedere non posse, statuunt Schneid. ad §. fin. Inst. d. Verb. Obl. n. 23. In casibus vero incertis, ut in factis, quæ sunt incerta, totum interesse praestari debet, quantum est in rei veritate. Als hech sich solches erstrebet Schneidvv. l. cit.

### TH. LXXI.

Est vero speciatim interesse ab allegante & petente probandum Natta Cons. 90. Vol. 3. Circa probationem vero istius distingvunt inter actiones bon. fid. & stricti Juris. In his probatio fieri debet per testes Schneidevv. l. cit. n. 27. In illis nec non arbitriis probari posse volunt per juramentum in item affectionis. Ut vero hoc locum habere possit tria requirunt interpretes, (1) ut agatur de re nostra, quæ jure aliquo in re ad nos pertinet l. 5. pr. ff. d in tit. jur. (2) ut versemur in judiciis bon. fid. arg l. 3. §. 3. ff. comod. (3) ut adversarius, qui ad interesse condemnandus est, sit in dolo l. 8. b. adeo ut neque latam culpam hic sufficere statuant, sed dolum præcise requirant l. 4. §. fin. b. Moribus vero nostris judicis arbitrio videtur committendum, quem pro re nata hujus interesse probationem, & quibus in causis juramentum hoc admitti debeat vel non. Vid. Struv. Synt. Civ. Exe. XVII. th. 62. & seqq.

### COROLLARIA.

I. Sepultura gratis eß concedenda, die Begräbnüsse solten denen Rechten und der Billigkeit nach umsonst und ohne Entgeld verstattet werden.

II. Ille, qui se Doctorem fatetur, & non est, crimen falsi committit & puniri debet ut falsarius.


S. D. G.

**ULB Halle**  
005 355 370

3







5 9 9.

B.I.G.

DISSERTATIO INAUGURALIS JURIDICA, 1709, 7

*DE*

# INTERESSE AFFECTIONIS,

*Quam*  
FAVENTE DEO  
RECTORE HUJUS UNIVERSITATIS MAGNIFICENTISSIMO,  
REVERENDISSIMO ET ILLUSTRISSIMO DOMINO,  
DOMINO

*P. 54*

## FHILIPPO WILHELMO, S.R.I. COMITE de BOINEBURG,

SACRAE CÆSAREÆ MAJESTATIS CONSILIARIO INTIMO &  
CAMERARIO, nec non METROPOLITANARUM ECCLE-  
SIARUM, MOGUNTINÆ & TREVIRENSIS CA-  
NONICO CAPITULARI SENIORE,  
EMINENTISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS MOGUNTINI CON-  
SILIARIO INTIMO, ac CIVITATIS TERRITORII que  
ERFFURTENSIS PRO-PRINCIPE &c. &c.  
DOMINO NOSTRO GRATIOSISSIMO,

EX DECRETO ILLISTRIS FACULTATIS JURIDICÆ  
IN ALMA HIERANA,

PRÆSIDE

PRO-RECTOR MAGNIFICO,

DN. JOANNE PHILIPPO ~~Strait~~ J.U.D.

*Eminentiss. Princip. Electo. Mogunt. Regim. Consil. Facult.*  
*Juridicæ Professore ac p. t. DECANO,*  
DN. PATRONO & PROMOTORE ætatem colendo,

PRO DIGNITATE DOCTORALI

*Summisq; in Utroque Jure Honoribus ac Privilegiis DOCTO-*  
*RALIBUS rite & legitime capessendis,*  
*Publicè in AUDITORIO JURIDICO MAJORI*  
*horis consuetis die 29. Maii 1709. defendet*

JOANNES GEORGIUS DEGENCOLBE alias HORN,  
Voigtadiensis-Thuringus.

---

ERFFORDIAE, Typis Groschianis, Acad. Typogr.

RENIERI  
UNIVERS.  
ZV HALIE